



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

IX. Der Magistrat der Neustadt Brandenburg giebt den Dominicaner-Mönchen die Erlaubniß, auf ihrem Grund und Boden Häuser aufzuführen, i. J. 1306.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

IX. Der Magistrat der Neustadt Brandenburg giebt den Dominicaner-Mönchen die Erlaubniß, auf ihrem Grund und Boden Häuser aufzuführen, i. J. 1306.

In Christi nomine. Amen. Cum inter alia conditionis humane infirma memoriam adeo constet labilem et incertam, ut nec longitudini temporis nec vicissitudini rerum valeat aliquantulum respondere, consuetudo didicit, et ratio sic decrevit, ut fragilitati memorie quibusdam signis et apertis testimoniis succurratur. Hinc est, quod nos consules Nove civitatis Brandenburg, quorum nomina infra patebunt, tenore presentium recognoscimus, in hiis scriptis publice protestantes, quod nos, prehabita provida deliberatione et maturo consilio cum senioribus et prudentioribus nostre civitatis, admisimus et concessimus, equali conductu, ut fratres ordinis predicatorum jam dicte civitatis edificent et faciant habitacula sive domos in area sua seu fundo, quem fundum ab illustri principe felicis memorie, marchione Ottone, hactenus tenuerunt, cujus proprietatem de ejusdem manibus receperunt, in quibus domibus habitare faciant quoscunque voluerint pro eorum libito voluntatis, ex prenotatis vero edificiis inhabitantes de rebus propriis ab ipsis introductis pro exactione et vigilia et juribus aliis civitati respondebunt, excepto solo habitaculo, quod stabit ad usum fratrum, ita tamen, ut inhabitantes ibidem de rebus eorundem solum in exactione civitati teneantur. Sed ipsum habitaculum a vigiliis et aliis juribus civitatis liberum permanebit; de edificiis vero seu de fundo nulla exactio civitati eidem perpetualiter tribuatur, sed stabunt sub eadem libertate qua et fundus in antea stetit, dum adhuc edificia non essent constructa. Insuper permittimus et concedimus, ut post mortem inhabitantium ipsa edificia non ad ipsorum mortuorum heredes, si qui essent, transeant, sed in dictorum fratrum usum et utilitatem penitus revertantur. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M^o. CCC^o. VI. presentibus nobis consulibus predictae civitatis *) premisse, videlicet Johanne de Monkeberch, Rodolfo monetario, Conrado de merica, Segero de Greptitz, Jacobo de arce, Nicolao de Iuterboe, Nicolao Jordani, Henrico de Jerchow, Jacobo Vrife, Alberto Pilleatore, Henningo Johannis, Nicolao Nowen. In testimonium vero premissorum nostre communitatis sigillum presentibus digne duximus appendendum.

Nach dem Original.

X. Die Neustadt Brandenburg bekundet, daß sie vertragsmäßig verpflichtet sey, allen Städten in dem, dem Markgrafen Johann zuständigen Theile der Mark im Falle von Verletzungen Weistand zu leisten, vom 23. März 1308.

Providis Viris et discretis in districtu Domini Johannis Marchionis de Brandenburg quiescentibus universis consulatus dignitate pollentibus consules totaque universitas nove civitatis Brandenburg obsequiosissimam in omnibus voluntatem. Coram vobis singulis nec non presentem litteram visuris vel audituris recognoscimus publice protestantes, quod nos una cum consilio omnium civitatum Domini nostri Marchionis predicti firma fide quamquam unionem fecimus in hunc modum, quod si aliqua violencia aut injusticia alicui predictarum civitatum insurrexerit sive evenerit, quod Deus

*) Das hier fehlende Wort ist in der Urkunde unleserlich geworden.